



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Pasiphæ. Anima cum æro vehiculo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

P A S I P H A E. ANIMA CUM AEREO VEHICULO. CAP. XLIV

Pasiphae Solis filia & Minois Cretae regis uxor. quam in vaccam transmutatam ex Tauro Minotaurum peperisse ferunt, qui media ex parte homo erat, reliqua Taurus, animam significat cum suo aethereo vehiculo, quo illam corpori coniungi Platonici tradidere. Ajunt enim animas nostras in beatis illis sedibus & caelesti regione aethereum igneumve quoddam vehiculum, quo deferantur & moveantur, habere, cum nihil quod sit expertis corporis moveri possit: quod & David vates comprobare videtur, cum canit. *Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam urentem.* Addunt deinde Platonici illas, quamvis hoc igneum vehiculum habeant, tamen corpori, hoc est, terreo vehiculo, ob ignis subtilitatem & terrae crassitudinem, nisi aliquo intercedente medio, quod utriusque naturae sit particeps, jungi non posse, ideoque illam dum per caelestes orbis & elementa descendens, transit, paulatim crassiore se quasi veste induere, aereumque sibi vehiculum comparare, quod facile terreo huic corpori copuletur. Id autem facit corporis induendi cupiditate, ut iidem ajunt accensam: Taurus enim corpus significat, Vacca ficta aereum vehiculum. Pasiphae ipsam animam ex qua copula oritur Minotaurus, id est, homo ex anima & corpore conflatus.

Platonico- rum de animabus opinio. Hinc forsitan dicta, quia praeter ceteris omnibus, appareat iucundatque.

P A N D O R A. CAP. XLV.

Pandora mulier pyxidem in manu habens apertam, adversam fortunam, generis obscuritatem, infelicitatem, paupertatem, infamiam, aegritudinem, spei frustrationem, humanae sortis miseriam nobis adumbrat: nam cum haec virtutes omnes in pyxide inclusas teneret, eam, ut quid intus esset videret, aperiens, omnes elabi passa est, malis retentis, & spe sola, quae vasculi labro adhaesit, ut narrat Hesiodus: eam enim a Vulcano factam, & ab omnibus diis muneribus, quae pyxidi illi incluserant, ornatum, postquam Epimetheo conjugem datam tradidit.

Hesiodus in Theogonia.

E U R I D I C E. APPETITUS. CAP. XLVI.

Eurydice, quam in pede momordit serpens, appetitum hominis significat, quam animi affectus exulcerant, pedes enim ac praesertim calcaneum, cupiditatum hieroglyphicum sunt. unde Servator discipulorum suorum pedes lavare voluit, ut eos ab affectibus terrenis mundos redderet, Joan. 13. Et Petro nolenti ut se lavaret, dixit, *Nisi laveris, non habebis partem meam.* Et in Genesi dixit Deus Serpenti, *Insidiaberis calcaneo ejus.* nec solum hoc in Sacris literis, verum etiam in Graecorum fabulis legimus, Achillem, propterea quod puer Stygis aquis fuisset immersum, nulla in parte vulnerari potuisse, praeterquam in pedibus, qui abluti non fuerant, ut indicarent eum fortem fuisse, nisi affectibus vinceretur propriis. Neque abhorret ab hoc sensu quod tradunt, Iasonem aureum vellus petentem, unum calcem in flumine, quod solum in toto terrarum orbe nulli venio est obnoxium, amisisse: hoc est, dum virtutem sectatur, & immortalitatem aliqua affectum parte exutum fuisse: & Virgilius, Didonem morituram unum calcem exuisse, scribit his verbis:



Hinc forsitan à lato pœna subeunda ei nomen, ob concupiscentiam. Per pedes ablutos quod significatur & in divinis & in profanis.

*Ipsa mola, manibusque piis, altaria juxta*

Bbbbb

Aene. lib. 4.

Fnum